



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 2. Verior sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

producere chimæram, chimæra est in se repugnans, & quia Deus potest producere lapidem, lapis est non repugnans: Omnipotentia enim ex se æquè se habet ad vtrunque obiectum, & ad vtrique supponitur quatenus est ex se æquè potens, quâ virtute supposita dicitur non solum ex se, sed absolute potens producere lapidem, quia lapis in se non repugnat, & non dicitur posse producere chimæram, quia chimæra in se repugnat. Confirmatur: ex eo quod in entitatibus possibili- bus illa, quæ existunt, habeant actu præcisè existe- re ex vi actionis procedentis à Deo, seu à Deo & ab illa causa, rectè dicitur reliquis entitates non existentes, non existere ex defectu huius actionis, ergo ex eo, quod in omnibus entitatibus, quæ concipi possunt, illa, quæ possi- biles dicuntur habeant possibilitatem præcisè ex omni- potentia, quæ in illas derivat hanc denominationem entis possibili, reliquæ entitates, quæ possibiles non sunt, di- centur non esse possibiles ex eo præcisè, quod omnipoten- tia similem in illas denominationem non derivet iuxta prologium illud, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: ergo si possibilitas crea- turarum possibilem sumitur præcisè ex denominatione procedente ab omnipotentia, negatio possibilitatis crea- turarum non possibilem sumitur ex negatione denominati- onis procedentis ab omnipotentia: ergo si possibilitas rei non repugnantis ab omnipotentia defumitur, impossibilitas rei repugnantis sumitur ab eadem omnipotentia, & æquè re- fundetur in omnipotentiam possibilitas lapidis, & impossi- bilitas Hircocerui.

Respondent alij lapidem non existentem dici possibilem, quia habet intrinsecam connexionem prædicatorum quam non habet chimæra, ex cuius defectu dicitur impossibilis. Contrà: connexio ista prædicatorum, vel est ab æterno, vel non est ab æterno: si est ab æterno secundum esse actuale, redeunt argumenta, quæ sunt contra esse actuale essentia: si non habet esse actuale, restat explicandum quid sit actu ratione cuius hic & nunc lapis non existens dicatur actu possibilem. Secundo æquè difficilis est explicatu hæc prædi- catorum connexio ac ipsa possibilitas, & reddenda est ratio cur lapis non existens habeat hanc connexionem præ- dicatorum, quâ caret chimæra non existens. Dicunt alij lapidem dici ab æterno esse obiectum in mente diuina. Contrà: si habere esse obiectum in mente diuina, ex vi cuius lapis cognoscitur, tantum dicit lapidem ab æterno cognosci, etiam chimæra ab æterno cognoscitur: si dicat ab æterno cognosci ut possibilem, inquiri cur lapis ab æterno cognoscitur ut possibilem, & chimæra ut impossibilem; & quid se teneat in cognitione diuina ab æterno terminata ad lapidem ex parte obiecti, ratione cuius hoc obiectum cognoscatur ut possibile, & quid se teneat in cognitione diuina ab æterno terminata ad chimæram ex parti obiecti, ratione cuius hoc obiectum cognoscatur ut impossibile, cognitiones enim diuinæ non dant possibilitatem, & im- possibilitatem, sed illas supponunt in ipsis obiectis, ratione quarum hoc ut possibile, & illud ut impossibile cognos- citur.

S. II.

Verior Sententia.

Dvplex potest considerari possibilitas in quacumque entitate, quædam extrinseca, & alia intrinseca: Ex- trinseca est denominatio quædam extrinseca desumpta ex virtute intrinseca causæ, eo enim ipso quod causa di- catur potens producere effectum, resultat in effectu de- nominatio quædam extrinseca producibilis à tali causa, quæ denominatio extrinseca non distinguitur ab ipsa vir- tute causæ, vel saltem inadæquatè cum illa identificatur, sicuti quilibet alia denominatio extrinseca cum forma ex vi cuius subiectum denominatur. Hæc extrinseca de- nominatio, seu possibilitas extrinseca aliquando convenire potest etiam effectibus ipsis intrinsecè repugnantibus, quia sicuti potest dici Deum quatenus est ex se habere poten- tiam ut producat Hircocerum, quem non ex defectu virtutis ipsius Dei, sed ex repugnantia ipsius Hircocerui absolute producere non potest, sic potest dici Hircocerum quatenus est ex parte Dei esse producibilem à Deo, & esse potentem produci à Deo quatenus est ex parte Dei, licet ex parte sua sit impotens produci, & ita ratione intrinse- cæ repugnantia non potest dici absolute potens produci, sed cum illo addito quatenus est ex parte Dei, sicuti ratio-

ne eiusdem intrinsecæ repugnantia Hircocerui Deus non dicitur absolute potens producere Hircocerum quatenus est ex parte ipsius, eadem enim restrictio, & eadem am- pliatio, quâ Deus dicitur potens producere effectum, dicitur extrinsecè effectus potens produci à Deo per for- mam ipsam, per quam Deus dicitur potens. Id accidit in obiectis omnium potentiarum, mea enim potentia actua- le à me, & dat illi quamdā extrinsecam amabilitatem ob- iectum autem habet aliam intrinsecam amabilitatem ratio- ne cuius ex se intrinsecè gaudet formalitate quadam, vide- licet bonitate, quæ non gaudet aliud obiectum; quod non potest terminare hunc actum amoris. Clarius cernitur in colore, qui visibilis extrinsecè denominatur à mea poten- tia visiva, habet tamen aliam visibilitatem intrinsecam, se- ue formalem siue radicalem illam appelles, videlicet præ- dicatum constitutum coloris, ratione cuius est obiectum proportionatum potentia visiva, quam intrinsecam visibi- litatem seu prædicatum coloris non habet frigiditas, ex cu- ius defectu hæc non est obiectum proportionatum aëri- potentia visiva, quæ tantum dat denominationem extrin- secam visibilis visibilitate extrinseca obiecto illi quod illo prædicato, seu illa intrinseca visibilitate gaudet. Sic po- tentia productiva dat extrinsecam denominationem pro- ducibilis, seu producibilitatis extrinsecæ obiecto illi, quod gaudet intrinseca producibilitate, seu non repugnantia. Hæc de causa omnipotentia non dat Hircocerui possibi- litatem extrinsecam absolutam, neque illi extrinsecè de- nominat absolute producibilem, adhuc extrinsecè, sed tantum cum addito quatenus est ex parte Dei, quia non inuenit in illo producibilitatem intrinsecam, quam, veni- mur, quæ supponitur ut possit obiectum denominari ex- trinsecè absolute producibile, & ut sit forma potens tri- buere hanc denominationem, videlicet potentia non so- lum quatenus est ex se potens, sed vndequeque absolute potens producere effectum, quæ constituitur formaliter per ipsam virtutem intrinsecam causæ & per producibi- litatem intrinsecam effectus, & extrinsecam causæ, ut latius explico Controversia decima Punct. 4. de hac possibilitate extrinseca verum est, quod docet Hurtadus, desumi for- maliter ab omnipotentia; quid verò rei intrinseca possibi- litas importet hic & nunc, dum effectus qui dicitur pos- sibilis non existit Hurtadus non explicat, neque explicatu facilis est.

Sentio ex eo præcisè lapidem non existentem (idem dico de quocumque alio effectus) dici hic, & nunc pos- sibilem, quia prædicata illa, quæ in lapide apprehendun- tur, non sunt illatius contradictionis. Clarius, quia si de- tur lapis existens nulla inferetur contradictoria, quod verum non est dicere de Hircoceruo, quia si modò Hir- ceruus existeret, daretur duplex contradictoria, itaque lapis possibilis non existens, & Hircoceruus impossibilis non existens non differunt per aliquid quod actu sit, sed per illud quod esset, & cūm dicimus, lapis hic & nunc est possibilis, tantum dicimus, si lapis hic & nunc existeret, nulla darentur contradictoria, similiter cūm dicimus Hir- coceruus est impossibilis, dicitur formaliter ex parte ob- iecti, si Hircoceruus existeret daretur duplex contradicto- rium. Idemque intendimus significare propositionibus illis quas vocamus æternæ veritatis, ut cum dicimus, homo est rationalis, quæ propositiones dicuntur veræ per totam æternitatem, non quia per totam æternitatem homo ha- buerit potentiam ratiocinandi, quam importat prædi- catum rationale secundum se, sed quia in quocumque instā- ti æternitatis verū sit dicere: Si hic, & nunc homo esset, esset ra- tionalis, seu si hic, & nunc existeret homo, existeret cum potentia ratiocinandi, quod est obiectum necessarium, cuius affir- mationi in nullo æternitatis instāti falsum subesse potest. Hæc de causa propositiones omnes, in quibus annuncia- tur prædicatum aliquod essentiale de subiecto, vocamus propositiones æternæ veritatis, quia habent hanc neces- sitatem conditionalem, quam non habent aliæ propositiones, in quibus prædicatum est accidentale, quæ non di- cimus æternæ veritatis, quia etiam si homo cum albedine ab æterno esset creatus, eo ipso quod in illo existat est al- bus, quia antecederet saltem potest existere sine albedi- ne; est autem semper verum dicere: si homo existit in hoc instāti, eo ipso quod existat, est rationalis, quia adhuc antecederet implicat existere, & non esse rationale. Doctrinam

Doctrinam hanc discretè nobis tradidit P. Soar. disp. 3. Metaph. Sect. 2. & disp. 12. num. 38. quem sequutus est Alarcon. tract. 2. disp. 3. cap. 2. n. 3. & alij quàm plurimi Theologi 1. part. quest. 14. artic. 5. ubi disputant de obiecto creati possibilibus scientiæ Dei. Legantur P. Vazquez 1. p. disp. 65. cap. 4. & disp. 104. & disp. 182. cap. 2. num. 9. P. Valentia questione 14. punct. 7. P. Heric. disp. 5. cap. 2. & Basil. Legionens. in quodlibet. quest. 8. Scholastica. cap. 7. relect. 5. Hac ratione rectè explicatur quomodo nullo esse actuali dato ab æterno, quod non dari, mihi fidei testimoniis certum est, & quâ ratione etiam nihil potuerit esse actu extra Deum, quod ab illo efficienter non procedat, ad quod affirmandum eisdem fidei principiis, & naturali adstringor ratione possit componi rem dici possibilem, & intrinsecè possibilem ab æterno, quia cum hoc quod est rem esse possibilem, non dicat aliquid, quod physicè actu sit, sed quod actu est obiectivè in mente diuina, & physicè esset absque vlla contradictione, si Deus vellet producere, non importat productionem, seu dependentiam à Deo, neque decretum liberum, quæ actu sunt, sed quæ essent, calu quo esset talis effectus, quia id, quod non est physicè, sed esset, non physicè dependet à Deo per actionem quæ sit, sed dependet per actionem quæ esset, & id, quod non est, sed esset, non supponit in Deo decretum liberum quod sit sed quod esset.

- 13 Ex his inferes rem possibilem abstrahentem ab existentia, & negatione existentie, & dicere existentiam conditionatam contradictionis, quæ potest significari per obiecta harum propositionum: *Si homo hic & nunc seu in quouis instanti existat, existet absque vlla contradictione, quæ inferatur ex sua existentia.* Si Deus hic & nunc, seu in quocumque instanti velit producere hominem, homo existet absque vlla contradictione, quæ obiecta non dicunt existentiam actu exercitam, neque illius negationem. Creatura purè possibilis, & non existens dicit hæc eadem obiecta, & negationem existentie absolutæ. Creatura non tantum possibilis, sed etiam existens dicit non solum hæc obiecta conditionata, sed etiam purificationem conditionis, & existentiam non solum obiectivè existentem in mente diuina, & sub illa conditione, sed physicè exercitam absque vlla contradictione, quam inferat, quod est physicè esse, seu existere, illud enim, quod hac ratione non est, sed esset, non dicitur esse simpliciter, sed cum addito.

- 14 Inferes similiter hoc prædicatum possibile, esse additum, diminuens vim significationis copulæ est, quæ ex se simpliciter dicit esse absolutum, & cum coniungitur cum hoc prædicato possibile non dicit esse absolutum, sed conditionatum, neque significat quod res sit, sed quod esset, idem enim valet dicere, *Petrus est possibilis*, ac dicere *Petrus esset, aut existeret* (quod est idem, quia esse simpliciter, & sine addito est idem formalissimè, quod existeret, absque vlla contradictione, si Deus vellet illum producere, seu dicere si Petrus esset, aut existeret absque vlla contradictione, quod de chimæra dici nequit. Dixi prædicatum possibile esse additum diminuens vim significationis copulæ, ut significarem, non minuire rationem intrinsecam significationem per subiectum, sicuti minuit additum rationis cum dicimus, Hircocervus est ens rationis, in qua propositione illud rationis positiuè destruit rationem entis, & idem est dicere hoc est ens rationis, ac dicere, hoc non est simpliciter, sed valde secundum quid, & plusquam æquiuocè. Similiter hoc additum pñctum destruit rationem formalem subiecti, quod afficit, ut cum dicimus hic est homo pñctus, additum pñctum destruit rationem hominis, & est idem ac dicere, homo non est homo simpliciter, sed secundum quid, & analogicè. Cum vero dicitur homo est ens possibile: ly possibile non destruit rationem absolutam entis, ut sit idem ac dicere: homo non est ens, seu existens absolute, & simpliciter, sed analogicè, sed tantum destruit in copula vim significandi hunc modum essendi, ita ut ex vi huius prædicati possibile non significetur, quod sit simpliciter, quod est absolute existere, sed abstrahat ab hoc modo stricto essendi, seu existendi, & significet aliud minus strictum relinquendo subiectum cum indifferentia, ut salva veritate propositionis possit simpliciter esse, quod est existere, & non esse simpliciter, seu non existere. Potest etiam significari natura huius additi possibile si dicatur minuere statum esse absolutum subiecti abstrahendo ab illo, seu præcisè minuendo significationem, & affirmationem illius, non illud negando. Additum verò rationis ne-

Francisc. de Ouedo Philosoph. Tom. II.

gat totum id quod minuit, & cum dicitur hircocervus est ens ratione, ly rationis negat rationem entis simpliciter, quam minuit, & hac ratione poterit dici terminus possibile additum diminuens præcisè, & additum rationis, seu pñctum diminuens negatiuè, quia, ut sæpe dixi, ens possibile indifferens est ut sit ens simpliciter, seu existens absolute, quod est idè, & ens rationis indifferens non est, ut sit simpliciter homo. Hic opportunè sanè diceretur, quomodo distinguitur possibilitas, & existentia, explicata enim naturâ possibilitatis cum existentie natura satis nota sit facile vtriusque differentia apparebit, sed de hoc iterum redibit sermo Punct. 2. ubi explicabo, quomodo differant possibilitas, & existentia, modo nonnulla argumenta contra doctrinam traditam proponam, & solvam.

Obiicies primo. Creatura possibilis antequam existat, est nihil: ergo quâdo producitur existentia, negatio rei conuertitur in ipsam rem, seu negatio existentie in ipsam existentiam. Respondeo aliud esse creaturam purè possibilem nondum productam non esse, seu non existere, aliud esse negationem existentie. Primum est verum secundum est falsum, quia creatura possibilis, etsi non sit existens non est negatio, sui ut existentis, sed purè non est, de illo autem quod non est, non est inquirendum quid sit pro illo statu, in quo non est, & si importunè inquiratur, respondendum est negatio suppositum, prius enim de quocumque ente instituitur questio an sit, in qua si negatiuè respondeatur, ultra procedendum non est: si verò affirmatiuè respondeatur, postea proceditur ad inquirendum quid sit. Quod vulgo dicitur, inter negationem, & habitum non datur medium, intelligendum est non dari medium inter hæc extrema in ordine ad se, vel in ordine ad subiectum, est enim consequentia necessaria, non datur hoc ens in rerum natura: ergo datur in rerum natura negatio huius entis. Similiter est bona consequentia: hoc subiectum non habet hanc formam: ergo habet negationem huius formæ. Hæc autem est mala consequentia: hoc ens non est illud: ergo est negatio illius: homo enim non est equus, neque est negatio equi, & omnia, quæ de facto non existunt non sunt homo, neque negatio eiusdem hominis existentis. Eadem ratione dicendum est creaturam purè possibilem non esse existentem, neque esse negationem sui ipsius existentis, licet tunc temporis cum non existit detur in rerum natura negatio existentie talis creaturæ, quia hæc negatio distinguitur ab illo cuius est negatio. Ex hoc fit creaturam non conuerti ex negatione in rem positiuam neque conuerti negationem existentie in ipsam existentiam, cum creatura in tempore producitur, sed tunc temporis, cum primo producitur incipere esse, quod antea non erat, & existere, quod antea non existerat absque vlla conuersione negationis in suum habitum, & absque omni transitu, seu mutatione ipsius rei, quæ producitur, quæ immediatè ante productionem, neque fuerat ipsa, neque fuerat aliquid ab illa distinctum, neque aliquid illius, quod formaliter producitur, præciserat, sed præcisè non fuerat.

Obiicies secundò: Petrus nondum productus ab æterno fuit possibilis: & hic & nunc est possibilis, ergo hic & nunc datur aliquid per quod sit possibilis. Respondeo Petrum non existentem hic & nunc esse possibile ex eo præcisè quod sit capax terminandi propositiones suprà dictas, videlicet si Deus voluerit Petrum producere, Petrus existet absque aliqua contradictione: Si Petrus existeret, existeret absque illatione contradictionis, quas propositiones hic, & nunc potest terminare, ob quam rationem præcisè, seclusâ quacumque alia, possibilis dicitur: cumque ratio ista actu terminandi propositiones suprà dictas non dicat aliquid, quod actu sit, sed aliquid, quod esset, fit rem dici actu possibilem per aliquid quod non sit, sed esset, quia sicuti potest actu terminare propositionem obiectum, quod non est, sed esset: sic potest dici actu res possibilis, quæ actu non est sed esset. Instabis, Petrus possibilis non existens est actu & absolute physicè possibilis: ergo per aliquid, quod sit actu, absolute, & physicè. Distinguo antecedens, Petrus non existens potest existere actu, absolute, & physicè, hoc est, possibile est Petrum actu, absolute, & physicè existere, concedo: Petrus non existens est possibilis hic, & nunc per possibilitatem, quæ actu, absolute, & physicè sit, nego: id enim per quod dicitur actu, & absolute, potens existere actu absolute, & physicè, est fit quid physicum, modo physicè non est, sed tantum obiectivè, & tantum physicè esset, si produceretur, & physicè erit cum producat. Aliud enim est esse

esse quid physicum aliud physicè esse, cum enim cognosco Petrum possibilem nondum productum, cognosco quid physicum, quod physicè tunc temporis non est, sed obiectivè tantum. Alia plurima obiciuntur, quæ omnia reducuntur ad hæc quæ iam solvimus, & aliam non continent difficultatē, sed eandem diversis modis propositam. Latè etiam inter meam conclusionem explicandam doctrinam tradidi ad omnia soluenda, quæ in hac materia possint occurrere, & obiectioes plures præoccupavi explicando terminos, ex quorum confusione procedunt.

PUNCTUM II.

An distinguantur realiter essentia rei possibilis, & existentia.

I Sæpe sepius indiscriminatim his terminis *res possibilis* & *essentia*, auctores utuntur, & veriusque significatum existentia opponunt, & ens ut possibile essentiam appellant, cui existentiam superaddunt, aliquando verò tantum opponunt rei existenti eandem ut possibilem, & essentiam quidam in possibilem, & existentem, quæ placet notare ne terminorum confusione confusè procedat disputatio.

2 Existentiam distinguunt ab essentia, quæ per se ipsam existentiam constituitur existens tanquam per aliquid reale superadditum defendunt Thomistæ omnes ita Caiet. Capr. Ferr. Agid. Fland. & Soncin. apud P. Soar. & P. Albert. postea citandos, quos sequuti sunt P. Molin. p. 1. q. 3. art. 4. ad 2. & P. Albert. de Prædic. substantia disput. 2. q. 1. Essentiam non distinguunt ab existentia distinctione reali, sed tantum ex natura rei docent Scotus in 3. dist. 6. q. 1. & P. Fonseca. tom. 1. Metaph. lib. 4. c. 2. q. 4. sect. 1. Verumtamen plerique Fonseca & non pauci Scotum interpretantur de distinctione tantum rationis.

3 Existentiam nullâ distinctione, neque reali, neque ex natura rei distinguunt ab essentia defendunt innumeri Doctores, quorum longum syllabum invenies apud P. Soar. disp. 3. Met. sect. 1. n. 12. qui eandem amplectitur sententiam, Consequuntur P. Valq. 1. 2. disp. 179. n. 6. P. Val. tom. 1. disp. 1. q. 4. p. 4. P. Pereir. 6. Physic. c. 4. P. Alarc. tr. 6. disp. 1. c. 2. n. 4. P. Rub. 1. Physic. tr. 1. de materia prima q. 4. n. 6. P. Hurt. disp. 8. sect. 4. sub 1. P. Arriag. disp. 2. sect. 3.

4 PRIMA CONCLUSIO. Existentia iam producta non distinguuntur physicè, neque propriè loquendo physicè identificatur cum essentia purè possibili, neque eadem ratione formali existentia, ut purè possibili, ea ratione quæ præcesserit per totam æternitatem antequam in tempore per veram actionem produceretur. Hæc conclusio ex doctrina tradita Puncto præcedenti clarè deducitur. Id quod est purè possibile nondum physicè existens in actu secundò, physicè non est simpliciter, sed cum addito: ergo physicè neque potest esse distinctum ab alio eo modo, quo in se non est, neque potest habere esse distinctum, quod non habet esse: ergo enti purè possibili tantum potest convenire identitas & distinctio conditionatè eo modo, quo illi competit esse, quod casu quo esset, esset distinctum, vel identificatum, haberet identitatē, vel distinctionem. Ex hac conclusione inferes rem existentem non identificari cum ipsa ut possibili, in mensura præcedenti existentiam, sed se habere respectu illius sicuti illud quod est, respectu illius quod non est, quia ratione se habet existentia respectu puræ possibilitatis, & essentia possibilis.

5 SECUNDA CONCLUSIO. Essentia possibilis, & possibilitas rei nondum existentis eo modo, quo sunt secundum illud esse conditionatum, quod habent, sunt identificatae cum existentia, ita ut eo modo, quo est illud esse rei possibilis, seu essentia sub conditione, sub eadem sit existentia. Probo hanc conclusionem: Essentia in statu absoluto posita est identificata cum existentia: ergo eademmet essentia in statu conditionato erit identificata cum existentia; & implicat enim ea quæ absolute existentia sunt identificata sub aliqua conditione reali non esse identificata, & hæc est legitima consequentia: rationale absolute existens est identificatum cum animali: ergo si rationale existat, existet identificatum cum animali, non enim diversa concipiuntur prædicata in statu absoluto, quam in statu conditionato eiusdem rei conditionatæ existentis. Pendet huius conclusionis exacta probatio ex illo ante-

cedenti, esse simpliciter existentia actualis, seu rei possibilis est identificatum in statu absoluto cum existentia, quod conclusione immediatè iam trado, & ex professo probo.

TERCIA CONCLUSIO. Essentia actualis, seu rei existens non dicitur existentiam superadditam essentia, sed simplicissimam entitatem, in qua essentia, & existentia concipitur. Probo: modus existentia, quem contingit sententia oposta habere essentiam, & sua prædicata essentialia ut omnes admittunt. De hoc inquiri, an habeat essentiam distinctam à ratione formali, per quam existit, vel non? Si illam habeat, planè in infinitum abibimus: si non, sic arguo. Essentia illius modi non indiget essentia superaddita ut sit in tempore: ergo neque essentia hominis. Respondent auctores opposita sententia disparē esse rationem, quia ille modus est ratio existendi per suam essentiam, ac proinde non indiget modo superaddito, ut existat, sicuti præsentia non indiget modo superaddito, ut sit præsens: homo verò, & reliquæ entitates non sunt rationes existendi, ac proinde indigent alio modo. Contrà: ego intendo probare essentiam hominis esse suam formalissimam rationem existendi, & sic arguo à paritate illius modi: ille modus habet prædicata essentialia ab æterno eodem modo, seu in eodem sensu, ac illa habet homo, & eadem ratione, quæ verum est dicere, homo non existit in hoc tempore, in quo antecederet potuit existere; eadem ratione verum est dicere de illo modo, modus ille non existit in hoc instanti, in quo antecederet potuit existere: ergo idem est fundamentum ad concipiendum modum illum cum indifferentia ad existendum, & non existendum, ac ad concipiendum essentiam hominis cum indifferentia: ergo sicuti ex prædicatis indifferentibus inferimus essentiam hominis non esse rationem existendi, sed habere existentiam superadditam sic ex eadem indifferentia debemus inferre modum illum non esse rationem existendi, sed indigere existentia superaddita, aut melius inferre: hæc indifferentia non arguit rationem superadditam existendi, in modo illo, quem constituit opinio distinguens essentiam ab existentia: ergo neque illam arguet in ipsa essentia: ergo sine fundamento dicitur admitti, hac indifferentia quæ cūque illa sit, essentiam habere rationem existendi superadditam. Modum illi incipientem in tempore ab æterno habuisse suam essentiam eodem modo, quo dicitur illam habuisse hominem, sic probabo. Ideo dicimus hominem ab æterno habere suam essentiam, quia ab æterno est verum dicere, homo est animal rationale: & ideo dicimus ab æterno fuisse possibilem, quia quocumque instanti æternitatis potuit à Deo produci: sed similiter ab æterno fuit verum dicere, modus ille, & formalissima existendi ratio, & ultima essentia actualitas in quocumque instanti æternitatis potuit à Deo produci: ergo ab æterno habuit suam essentiam: ergo ab æterno fuit possibilis cum indifferentia ad existendum, & non existendum: ergo eadem ratione philosophandum est de ipsa essentia, ac de illo modo, casu, quo admittatur, quod probat modum illum admittendum non esse, quia si modus ille per se ipsum existeret, sic essentia per se ipsam de facto existit, & ita non indiget modo illo, ut fiat existens: ergo omnino superflue ponetur, cum tantum inventus sit ad essentiam formaliter existentem constituendam.

Responder P. Albert. in Prædic. substantia disput. 1. q. numero 34. essentiam existentem non habere esse actuale ab æterno, sicuti illud habet essentia lapidis, & ita essentia lapidis esse indifferentem antequam recipiat existentiam, ut illi habenti iam suum esse actuale adveniat, vel non adveniat existentia, quam indifferentiam non habet essentia illius modi, quæ non habet ab æterno aliquod actuale esse: reddit disparitatem; essentia, v.g. lapidis ait Albert. debet supponere aliquid ab æterno, ratione cuius non repugnet existere, quod non potest esse aliud præter esse actuale ipsius essentia, essentia verò existit lapidis ex eo præcisè, quod supponat esse actuale essentia lapidis intelligitur non repugnans, quia per illud, esse formaliter constituitur lapis non repugnans ad existendum. quod est constitui non repugnans existenti lapidis, & ita necesse non est existentia lapidis supponere esse actuale propriæ essentia, ut supponatur formaliter non repugnans. Doctrinā huius solutionis latè impugnavi Puncto præcedenti, ubi probavi nullā essentia rei creatæ habere ab æterno aliquod esse actuale absolute. Secundò illam impugno, quia si essentia creaturæ necessarium esset illud esse actuale ut distingueretur à chimæra